negligenter, omnia cum dignitate, singula cum summa sollicitudine, universa prudenti circumspectione tractatis. Prima cura vestra, totum Reipublicæ corpus, ex Platonis monito, curare, videreq; ne quid detrimenti illa capiat: altera ab ea, bonas fovere literas, & illis docendis aperire φροντιστήρια, quibus ad Ecclesiæ & Politiæ munia erudiantur civium filii. Scholam itaq; publicam, seminarium Reipublicæ, à Majoribus laudatè introductam, laude non minori conservatis, & magistros honestis stipendiis alitis. In quibus postquam & me, ante hosce sedecim annos Oldenburgo à Scholæ Rectoratu evocatum, esse voluistis, summum vestrum erga me favorem expertus sum, & propensissimam voluntatem, ut leve existimem & infra meritum, quicquid de Vobis honorificè, & ad laudem magnificè grata mea me pietas excogitare, aut eloqui jusserit.

Quamobrem, ut vestris agnitis veriùs, quàm celebratis beneficiorum meritis, non par quidem redhostimentum, sed aliquam saltem ingenuæ mentis, quæ benefacta dignè agnoscit & æstimat, tesseram reponerem, amplissimo Nomini vestro hunc meum laborem consecrare volui, ac debui. Vos modò serena eum fronte, & cum illo antiquos simul hos Reipublicæ vestræ Scriptores, post tot secula ad Vos redeuntes, ut recipiatis, atq; me clientem vestrum, qui in venerandum eos conspectum vestrum reduco, solita complecti benevolentia pergatis, etiam atq; etiam rogo atq; obsecro. DEUM T. O. M. piis invicem solicitabo precibus, ut Vos universos & singulos, ad Reipublicæ clavum sedentes, Spiritus Sancti dotibus largiter instruat & exornet, atq; consilia tempestate hac turbulentissima ita dirigat, ac porrò secundet, ut ad sanctissimi Nominis sui gloriam, Reipublicæ laudatissimæ conservationem & augmentum, ad vestrum deniq; omnium nunquã intermorituram laudem unicè vergant & exeant. Valete. Dabam è Museo,

Kal. Octobr. clɔ Iɔ C L I X.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 180, [15] - -
PUBLIC DOMAIN